

G.K.
422
9

131.

II
2093

HISTORIA ECCLESIAE ORIENTALIS RECENTIOR;

QUÆDAM EJUS CAPITA LÆTIORA.

ARGUMENTUM DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ III.

COMPOSITUM AC PROPOSITUM

A

D. JO. HENR. CALLENBERGIO
THEOL. ET PHIL. PROF. PUBL. ORD.

EODEM PRÆSIDE

DIE 29 OCTOBR. cIcIcccliiii.

PUBLICE DISCEP TABIT

SAMUEL GODOFREDUS WOLTERSDORF
FRIDÆCHSFELD. MESOMARCHICUS.

HALÆ,
EX OFFICINA GRUNERTIANA.



VIRO JUVENI,
R E S P O N D E N T I S
A G E N T I P A R T E S ,
S . P . D .
P R Ä E S E S .

Bene de ecclesia Christiana merentium virorum soboles ut paternis vestigiis accurate insisteret, optandum sane esset; ita bonorum fons, qui in illis ortus est, multis locis perennis foret, saltem diutinus, quandiu scilicet progenies ipsorum extaret. Sed longe aliud saepe fieri, vulgo constat; etiam de heroum filiis notum est proverbium, ex tristit natum experientia. Paternia equidem providentia, cura, operaque passim desicere deprehenditur; bonis viris, ut alia taceam, in temporis & curarum dispensatione circa id, quantum publica saluti debeant, quantumque suis, non raro hæsitibus ac labentibus: attamen potior in natis hæret culpa, qui genio indulgent, & ipsa, quæ in parentibus, majoribusve spectata sunt, meritorum, bis ipsis quoque ea per modestiam non agnoscuntibus, conscientia abutuntur ad inanem confidentiam, incuriam, insolentiam & reliz quam vitiostatem. Hac manente calamitate, consilium omnino est, eos, quibus scholastica & academicæ juventutis institutio credita est, in utraque animum ad eos in primis applicare, in quibus cum ingenii dexteritate ac theologia vera pietas, quasi lumen aliquod, eluet; quamvis cetero qui nascendi fors tenus facilius, ac nulla parentum merita, multa aegritates, opesque illos commendationes reddant. Eminuerunt nostra etate duumviri, sapientia istius & fidelitatis exempla nobis atque posteris, Godofredus VOCKERODT & Augustus Hermannus FRANCKIVS: ille in scholastica (*) rei administratione; hic in academicæ provinciæ, cui etiam scholastica Instituta, eaque amplissima, adstruxit. Sed præter eos, quibus amplior in dictis seminariis obiicit campus, ecclesiastes etiam pro re nata, puerum, mediocris maxime ac infimæ conditionis, deligar, cupidum litterariorum studii, aptum & probæ indolis; cui consilio, institutionis rudimentis, alisque modis dux & adjutor sit ad doctrinae curricula ingredienda & continuanda. Ita sua si degeneret proles, vel certe vero iudicio (inclinatio ad errorem paterno) sensus divini (**) expers reperiatur; Ecclesiæ tamen in parte ejus aliqua dabit filium, (***) sua indolis, sua fidei, suique laboris hæredem & propagatorem. Sermo mihi est de ecclesiæ, qui, spiritu sensuque Christi imbutus, non sua rei studet; sed Christi, (*) adeoque bonum Ecclesiæ domine-

(*) Conferri potest commentatio nostra: Doctorum scholasticorum suscitator ex Vockerodiano exemplo. (**) 2 Tim. III, 17. 2 Petr. I, 4. 3.

(***) 1 Timoth. I, 2, &c. 1 Cor. III, 17. Phil. II, 22, 20. 21. Tit. I, 4.

(*) Phil. II, 21.

domestico anteponit. Sin exspectationem ejus adscitus etiam juvenis frustretur; fecit tamen, quod potuit. Nec metuendum est, tali delectu candidatorum multitudine ecclesiam obrutum iri. Ingens dignorum penuria quot peperit bucusque querelas, gemitus, suspiria! Utinam, quod FRANCKIVS ille doctoribus academicis inculcavit, ecclesiastici quoque crebro perpendent, & quantum ab ipsis praestari possit, efficerent sincere. Alibi jam aurea ejus commemoravi verba; sed nunquam, quavis data occasione, ea pigebit repetere, nec alios relegere tenebit. Talem, etiam, inquit, optaverimus academiarum (ecclesie) reformationem, qua ipsi professores (ecclesiastae) sine ullo ad privatum commodum respectu, (conjunctione spectati) sat multos, bona mente ac doctibus naturae prædictos, eosque sive pauperes sive divites, ex auditorum (scholasticorum puerorum) suorum numero .. eligant, in quos præcipuum insument curam, quosque, ut felicioris profectus discipulos, academicis (ecclesiasticis) laboribus (quodammodo) præparent, &c. Hac enim ratione quasi duplēcēm præstirū essent Deo ac magistratui, in munere, sibi demandato, fidelitatem. Primo enim per omnem vitam verbis & factis ætatem presentem ipsi juarent; deinde prospicerent etiam, quantum in ipsis, posteritati, atque in discipulis .. post fata quasi superstites essent futuri. Sic forer, ut non tantum emendarentur academiae, (catus ecclesiastici,) sed etiam in flore, quem semel nacte (consequuti) essent, in annos venientes conservarentur. Ita sine magno apparatu imitatio sua in finu, &c. si fovere possent, academiae (catus ecclesiastici;) quorum fructus ipsa (ipsi) quidem primæ (primi) non immerito in sui conservationem perciperent, aliis tamen (longe etiam diskitis, ac integris quoque gentibus, christiana religio, nisi prorsus adhuc expertibus) eos non denegarent. In domo Tua paterna, carissime AMICE, singulare quid Ecclesia nostra est: Virum, cœtui ejus doctrina & exemplo curatissime inservientem; ejus filios quatuor, cœtuum quoque sacrorum doctores, atque in fundatione Patris imitatores studiosos; unum, a simili statione, in qua sancte se gessit, ad celites avocatum; alterum, versantem in Oriente, ex quo ipsum, cum apparatu orientalis litteraturæ, fractus reportaturum esse speramus, pia destinationi ejus, & sacro labore consentaneos, eoque aeternos: insuper duos ministerii sacri candidatos, quorum alter Tu es, perdilecte juvenis. Eam biennio, quod apud nos exegisti, ostendisti indolem, tale ingenium, studiumque, illum scientiae profectum, ut spes sit, in te quoque venerandi PATRIS, tam laudabili FRATRVM accende exemplum, religiosam spectatum iri imitationem. Multa de vobis possem addere; sed locus & vestra id probabet modestia. Plures, quin plurimas, CHRISTVS Ecclesie sua det ecclesiastarum familias, ita animatas! Scr. d. XXI. Octobr. cœl. 1584.

CAPUT XXI.

Ab anno cCCCCCLXXXVI. ad annum usque cI. Ecclesia græca; interna.

§. I.

NIPHO, patriarcha constantinopolitanus, macula alioquin infectus commissæ fraudis, vulgi et philosophorum, inter quos excelluit, errore pia, e suggestu singulis diebus docuisse dicitur. Ejus tempore diem obiit SYMEON, primus pretio factorum patriarcharum, mercandæque sacræ hujus præfecturæ auctor, sed bis quoque ab hac deturbatus, per entricis emitorisque pecuniam aliis illam adipiscientibus: intestati opes, fere immensæ, cum multis vatis sacris, in ararium régium abreptæ fuerunt.

§. II. DIONYSIVS post illum secundo patriarcha fuit. Et enim accusatorum calumnia se ab ecclesia præfectura depelli passus, successore, ob falsos testes subornatos, dejecto, recipere istam coactus est. Laudatur a paupertate voluntaria, jejuniis: precationibus religiosis, submissio de se sensu, erogationibus ingenos. Duobus annis, mensibusque sex in functione muneris recepti exæstis, illa se denuo abdicavit, rediitque in monasterium.

§. III. ADRIANOPOLI Mauerinus, quod a religione christiana deficere noluit, supplicio adfectus est; quod Ludouicus Tubero, pluribus enarrat: cuius verba apponimus.

§. IV. „Hic vir licet, ut accepi, publicanus aliquot annis fuerit, atque haud satis honeste ingentes nauctus opes, utpote qui ne a seniore quidem sese continuerat, cum Turcis ejus fortunæ inuidiae simul et suspicioni esse cœpissent; producunt falsis testibus, contemnit *Mahammedanæ* religionis, quod quidem apud Turcas capitale habetur, accusatus est, atque in carcерem coniectus. Sed quia talem virum occidere inconsulto rege veritus est

I

„prætor.

§. I. Hc. 33. Mal. 125, 127, 139, 140.

§. II. Hc. 34. Mal. 127, 141, 142.

§. III. In Libris undecim Commentariorum de rebus, que temporibus eius in illa Europa parte, quam Pannonii et Turcæ, eorumque huius incolunt, gesta sunt, Frf. 1603, 153.

„prætor, ad quem hæc cognitio spectabat, quid factò opus esset,
 „confulit regem. Bazethes, alioqui rex justissimus, diuitis rei,
 „ut quidam credidere, auro, religionis prætextu, potiri cu-
 „piens, mandat prætori, uti, re diligenter inquisita, si Mauer-
 „dinus sceleris conuictus fuerit, lege in eum uteretur, ni, spre-
 „cta christiana religione, sè sacrī mubammedanis quamprimum ini-
 „tiari pareretur; haud sane hac in re imitatus paternam pruden-
 „tiam. Ille enim, cognito Muhammedi astu ac religionis vanitate,
 „stultam ludibrio habuit superstitionem.

§. V. „Hoc nuntio accepto, prætor tribunal ascendit, at-
 „que strue lignorum ad terrorem circumstantium Christianorum
 „consueto majore composita, reum, sicut erat, catenis vinclatum,
 „carcere educi, atque ad se attrahi jubet; silentioque per appa-
 „ritorem indicto, ita fatus est: Quam vellem, Mauerdine, in
 „aliena religione censenda, Turcarum mentem habuisses, no-
 „strumque morem effes imitatus, neque enim eo calamitatis nunc
 „devenisses, ut tibi aut contemtu ejus religionis, in qua natus
 „es, et jam consenuisti, aut morte acerbissima, turcaicis legibus
 „effet satisfaciendum. Nos enim Christum, quem vos Deum esse
 „affirmatis, in omni sermone appellare honorifice solemus; pœ-
 „na ei grauissima constituta, qui de Christo quicquam per con-
 „temptum obloqui, aut ullam vocem, eo indignam, proferre ausus
 „esset: nec sane immerito. Nam sicut illum, præter morem hu-
 „manæ naturæ, nullo genitali semine procreatū esse arbitramur,
 „ita omnes mortales antecellisse, nulli dubium est. Quum igitur
 „nos, extra vestra positi sacra, Christum tanti facimus; cur tu
 „adversus nostras leges in Muhammedum tam impie invehi ausus es?
 „qui quidem itidem Deo, ut putamus, acceptus, et in pacis
 „carus fuit: Turcasque perinde, ac vanæ superstitionis, ac stultitiae
 „arguere non dubitasti; quum pro certo haberet debeat, Muhamme-
 „dum æque ac Moysen et Christum veritatem mortalibus nuntiasse;
 „immo, aliquanto ipsius Moysæ pariter et Christi ritu, licet ex
 „vtrisque dogmate Muhammedus suam religionem composuerit,
 „Deum jussisse, mubammedanis legibus humanum genus deinceps
 „teneri oportere. Quemadmodum enim prioris testamenti tabu-
 „lae, conditis posterioribus, irritæ sunt; ita et mos superiorum,
 „ubi

„ubi nova successerit lex, tollatur, necesse est. Nam si regibus
 „antiquas leges, recentioribus inductis, abrogare licitum esse
 „arbitramur: multo magis id Deo licere credendum est: utpote
 „in cuius potestate ipsos reges esse constat. Atque ideo im-
 „pietate tua eam nobis necessitatem imposuisti, ut te, jam senem
 „virum, nec fortunis, nec dignitate contemnendum, aut ad no-
 „vam religionem suscipiendam cogerem; aut, si nostris sacris ini-
 „tiari nolueris, in te turcaicis legibus animadverterem. Nam
 „ex his duobus tibi alterutrum est subeundum. Est enim mūbam-
 „medanis legibus cautum, ne rationibus, sed vi et gladio, in de-
 „fendenda religione utamur.

§. VI. „Ad ea Maverdinus, salute fere omnino desperata,
 „et ob id elatiore animo, ita respondit: Si tantummodo de reli-
 „gione vestra a me, ut objicitis, violata, mihi esset causa dicenda,
 „haud omnini saluti meæ diffidere: fretus, non minus regii
 „prætoris æquitate, quam mea ipsius innocentia; propterea,
 „quod meis moribus, et vita præterita facile illud crimen revin-
 „cerem, quod scilicet subornatis testibus, et his hominibus,
 „qui semper famosi et corruptissimi habiti sunt, suffultum est.
 „Etenim, si, dum juventa, ut sit, incautior essem, de me
 „nihil tale unquam auditum est, haud confidentaneum est, a me,
 „jam sene, id esse admissum, atque eo, qui neque leges vestras
 „ignorat, et his austus est fortunis; quæ quidem vel ferociores
 „ætate timidos ac cautos possunt efficere. Quare velim et te,
 „prætor, qui hoc in magistratu regis fungeris munere, et regem
 „ipsum rogatos esse, ne quid grauius in me, innoxium atque
 „objecti criminis omnino expertem, inconsulte statuatis. Ad glo-
 „riam enim tanti regis pertinet, spreta perditorum hominum ca-
 „lumnia, innocentis vitam conservare, atque in hoc parentis sui
 „prudentissimi regis, mores imitari: qui sane, cum propter cæ-
 „teras ejus virtutes, tum propter hoc maxime laudibus effertur,
 „quod nunquam ullis testibus in caput cuiusquam suæ ditionis ho-
 „minis credendum esse censebat, cuius maxime spectata esset in-
 „tegritas; propterea quod falsi testes, cuius quidem generis ho-
 „minibus hæc corruptissima aetas maxime abundat, facile pretio
 „parari possunt. Num credis, prudentissime prætor, accusato-

rem meum hos difficulter invenisse, qui nullo periurii resp. & tu
 in meum testantur caput? certe parvo conducti sum pretio: et,
 si verum audire vis, ipsi se se accusatori ultro obtulerunt; dum
 vel minimam utilitatem majoris faciunt, quam hominis vitam.
 Neque enim hi in cœtu hominum quoconque modo interficere
 dubitatunt, modo id impune licet, qui quidem in filiis majo-
 rem vite partem per latrocinia transegerunt. Atque idcirco si
 his accusatoribus ac testibus morti addicitus sum; non mediocre
 solatium vel hac ex parte morituro est, quod nemo me non per
 calumniam intereritum judicabit, cuius scilicet vita, et mores,
 dicta factaque, in magnis parvisque rebus, huic accusationi mi-
 nime congruunt. Proinde stultum est, credere, religionis præ-
 textu importunissima notam cupiditatis coniectum iri. Fama,
 mendacio instructa, vix tridui spatio durat: deinde haud fecus,
 quam factitius color, ardentiore sole *colliquefactus*, evanescit.
 Si igitur religionis vestrae a me temeratae nec ipse mihi conscius
 sum: ego enim, quanquam solam christianam religionem, in
 qua sane mihi, Dei munere, nasci contigit, veram esse existi-
 mo, *Muhamedo* nunquam detraxi: nec ab his profecto accusor,
 quibus fides merito habenda est: precor, ne mihi alia res, quana
 cujus reus sum, apud vos invidiae sit. Nemo enim nisi ejus sce-
 leris, quod commisit, cuiusque convictus est, damnari debet. Et
 profecto ceteri mortales externa bona magni faciunt; nos, Chri-
 stiani, qua humana bona dicuntur, magis necessaria hominibus,
 quam magna esse dicimus. Unde felicitatis humanæ non adeo
 ignarus sum, ut, proposito vite periculo, malim fortunæ bona,
 quam propriam amplecti salutem. Si fortunæ meæ, magnitu-
 dine forte sua vobis suspectæ, pertuntur: auferre eas, libens his
 cedo; sit in tuto religio, et, quam Christo debo, fides. Nec
 putetis, me, cui sane jam ingravescente aetate fatum lege nature
 diutius differri nequit, mortis metu hæc dicere; quæ quidem
 christiano viro longe felicior, quam ipsa vita est; præseruum ei,
 qui, ne a vera desciscat religione, occumbit; sed vestra dun-
 taxat existimationis, et gloriæ causa. Nam damnatione mea pro-
 cul dubio perpetuam subituri estis labem: quandoquidem ne
 vestra quidem religionis hominibus, quibus ipse notus sum: sum

¶ autem

„autem multis et his non postremis viris notus: unquam persuaderi poterit, me quicquam tale admississe. Satis enim constat, Christum, Dei sapientiam, suis non præcepisse, ut alieni ritus irratione, sed virtute sanctitate religionem tuerentur. Atque idcirco sicut non cogimus quenquam ad sacra nostra suscipienda, ita a veræ religionis cultu vi aut tormentis deterri nequimus. Quare nemmo inimicorum meorum sibi persuadeat, me, ullo mortis genere proposito, posse averti a religione, quam et ipse *Muhammedus*, quem vos Dei nuntium appellatis, approbavit, affirmans, Christum e spiru divino natum, veritatem mortalibus indicasse. A veritate autem, maximo Dei munere accepta, cui vestra etiam sectæ autor adstipulatur, dimoveri nefarium esse, quis, nisi rationis prorsus expers, non videat.

§. VII. „Hæc ubi Maverdinus dixit: exemplo clamor Turcarum in eum, quasi objecta parum purgasset, accusatorum instinctu sublatuſ est; hoc quidem consilio, ne forte judex, quem rei oratione, utpote vera, haud parum motuſ esse apparebat, dilato supplicio, accusatorum fraudem deprehenderet. Itaque prætor circumstantis metu turbæ, ne scilicet jure apud regem accusari possit, quod christianos digniores fide, quam Turcas, effet arbitratus, confessim Maverdinum prius minis, modo precibus, nequicquam fatigatum, uti in seſtam mubammedanam se traduci pateretur, palo, e media lignorum strue eminenti, ad moveri jubet, ac ferreis alligari catenis; ubi, flamma per carnicem excitata, inter orandum exultus est.

§. VIII. Rex Cachetiæ, LEONTIVS, et filius ejus, ALEXANDER, anno ccccclxxxii suis facultatibus monasterium Philothei, quod ATHOS habet, pulchre instaurarunt. Gregorii monasterium, quod ibidem est, anno cccccclxxxvii, ALEXANDER, authentes Moldovlachia, pater Bogdani Vœvoda, in magnificam formam rededit.

C A P V T X X I I .

Ab anno cICCCCCLXXXVI. ad annum usque cIcI.
Ecclesia græca; ab hac profecta ad Christianos occidentales et Mu-
hammedanos: Rutheni et Habessini.

§. I.

A pud Florentinos CHALCONDYLÆ professio græcarum literarum ad annum usque cICCCCCLXXXII. duravit; Ianus LASCARIS triennio diutius mansit. Joannis Mediceti: qui postea, ad pontificatum electus, LEO X. dictus, ac suo litterarum amore, profectuque ab opprimendis tenebrarum corruptelarumque ecclesiasticarum oppugnatoribus se aliquamdiu retrahi passus est: bini monachi magistri fuerunt, græce doctissimi, Urbanus BOLZANIUS, Franciscanus; et Benedicto deditus, Varius PHAVORINVS, ex Joannis LASCARIS et Angeli Politiani schola progressus. Mediolanum a Ludouico Sfortia anno circiter cICCCCCLXXXII. arcensis CHALCONDYLAS diligenter docuit græcam linguam. Lutetia Parisiorum ab anno cICCCCCLXXXV. commoratus Janus LASCARIS Budæ tantisper adjuvit studia. Messanae docendi munere fungi perrexit Constantinus LASCARIS, donec anno circiter cICCCCCLXXXIII. diem obiit supremum. Ex Germanis Florentiae et Mediolani scholam Chalcondylæ frequen-tavit REVCHLINVS. Ipse, quibus magistris græcum percepit sermonem, summatim aperit: „non apud Ionas neque vlla in „Græcia: sed Basileæ primum ab Andronico Centoblaeca; deinde „Parisiis a Georgio Hieronymo, Spartiata; post Romæ ab Argy-„ropulo, Byzantio, publice in Vaticano Thucydidem legenti, „Xisto IV. pontifice; ad extremum Florentiae Mediolanique a De-„metrio Chalcondyle, græcorum linguam frustillatim, et quasi „micas, de mensa cadentes, accepi.“ Messanensi senatu Constantinus LASCARIS, quam habebat, bibliothecam, allatis e gracia codicibus instructissimam, testamento legauit. Primus hoc aevò Lexicon græcolatinum conscribere aggressus est Joannes CRASTONVS, Placentinus, ex Carmelitana familia, cuius scriptio anno cICCCCCLXXXVII. Regii Lepidi in lucem emissa fuit. Biennio post Venetiis, hortatu maxime Annæ NOTARENÆ, fœminæ Con-stanti-

stantinopolitanæ, typis exscriptum est ETYMOLOGICVM magnum.

§. II. Inter summos exercituum Bajazethis duces erat MUSTAPHA, græcis parentibus ortus; qui christianis sua nationis fertur præfatisse testamentum. SINON quidam miserando casu a cœtu christiano dissociatus est, eique inter satrapas turcicos locus adsignatus. Tubero: „Natus est Sinon in Macedonia christianis parentibus, „nec sponte, sed coactus ad . . . (muhammedanam) sestatam hunc „in modum descivit. Descripto delectu raptuque puerorum christianorum quinquennali, subjungit: nec fas est, uxoribus junctos, sed cœlibus tantum abducere. Itaque Sinon, quo regios conquistatores evitarer, parentum fuasū, vix dum pubes, uxorem duxit. Sed turcica nequitia hoc consilio validior fuit. Nam quidam satrapes Turca, . . . obiecta parentibus fraude, quasi regio imposuissent conquistatori, quod puerum, ne abduceretur, matrimonio devinxissent, Sinonem, vi e manibus parentum abstractum, in domum suam recepit . . . (et paullo post) exfectis virilibus . . . emasculauit. At Sinon, tam atroci injuria affectus, ad regem, Bazethem, confugit etc. (Ab hoc) benigne exceptus, artibusque studiorum liberalium excultus, brevi ad præfecturam provinciae proiectus est. Morruo Bazethe, non modo ei eadem dignitas retenta, sed etiam aucta. „

§. III. Doctor quidam muhammedanus ad veritatis christianæ cognitionem pervenit, suppeditatis, ut conjicio, a Græco scripturæ sacra libris, vel saltem christianorum colloquiis eruditus; de quo hæc haber Dalmata. „Accidit Constantinopoli res mira, et rari exempli, atque ob id literis mandanda; quæque maxime argumento esset, verum Dei cultum coelitus infundi, purgatamque virtutis mentem illustrari, ac in divinitatis cognitionem induci. Turca quidam ex eo sacerdotum genere, quos Mubammedani Talyismanos vocant, litteris arabicis, quibus omnes Mu-

„bamme-

§. I. Jovius I. 13. Egr. VII. 14. et not. X. 70. et not. (e) 73. Hor. 152.
Ang. 70. Reu. I. præf. III. præf. Boern. 142. not. 172. 174. 181. 183.
184. 190. 201. 203. 208. not.

§. II. Tubero 173. m. 317.

„*hammedani* utuntur, satis imbutus, quolibet ... (VI.) die, quem
„antiquitas Veneri attribuit, uti Muhammedanis mos est, tem-
„plum Sophiæ, sacra facturus, ingrediebatur: id autem tem-
„plum Christo, qui Dei sapientia est, a magno Justiniano ere-
„Etum, *Muhammedus*, Bazethis pater, capta Constantinopoli, *Mu-*
„*hammedanis* sacris dedicaverat. Qui cum esset inter sacerdotes
„eruditione simul ac vita integritate insignis, non modo a plebe,
„sed etiam a rege ipso, dum doceret populum, attentissime au-
„diebatur, omnesque mirum in modum concionibus suis tene-
„bat. Tandem cum in templo leges muhammedanas de more
„populo, rege præsente, interpretatur, projecto per contem-
„tum codice, quem Turcæ Alcoranum, id est, præceptorum
„collectionem, vocant; conversusque ad ipsum regem, divini-
„tus procul dubio mente monita, inquit: miror, te, rex, quam
„sis vir sapiens, nondum deprehendisse *muhammedana* hæresis va-
„nitatem, ac quendam versuti autoris astum in sua fœta consti-
„tuenda, urpore *qui nihil in se divini*, aut *quod ad veram homi-*
„*nus beatitudinem pertinet*, habeat. Quippe *Muhammedus*, ter-
„rena tantum ac corporea sapiens, nec vivis verum iter ad felici-
„tatem ostendit, et vita functis communem cum bestiis beatitu-
„dinem pollicetur. Atque quum videret vir callidus, Christi
„religionem ad animi puritatem, veritatisque contemplationem
„omni ex parte constitutam esse, tantisque miraculis fulciri; vi et
„voluptate proposita, duobus sane efficacissimis humanis affecti-
„bus, fœtum suam munire ac rueri præcepit. Quare scito, so-
„lam christianam religionem veram censem, et Christum, ut
„ipse recte affirmat, viam, veritatem et vitam esse. Quod vbi
„Thalysmanus dixit; extemplo rex, ut erat patriæ religioni de-
„dirus, hominem comprehendendi, atque in foribus templi crude-
„lissime necari iussit; denuntiavitque, rem silentio regi (*coportere*)
„gravi pœna proposita, si quis efferret. Verum id celari Deus
„haud quaquam permisit. Nam quidam Turca Illyricæ nationis,
„eiusdem gentis christiano homini omnia, ut gelta erant, nar-
„ravit; quæ cum multorum affirmatione vera esse cognovissem,
„huic historiæ inferenda censui. „

§. III.

§. III. Tubero 214.

§. III. SACRANVS, canonicus Cracoviensis, exente saculo, scriptis adversus Ruthenorum errores. Apud Ioannem, Basili patrem, magnum MOSCOVIAE ducem, Petrus ARETINUS, architectus, et Paulinus INSUBER, tormentorum et bellicarum machinarum egregius artifex, plures annos stipendia meruerunt. Pertinet hoc ad initia receptorum ex sedibus cultioribus peregrinorum, et illata depellendae servitutis Tartaricæ præsidia.

§. V. Alfonso extinto, Covillanius, Regis Lusitaniae jussu, ad Habessinos proficiebatur. Horum Regi principis sui litteras, et topographiam, quo navigationes lusitanicas perspiceret, exhibuit; ac humanissime acceptus est. Sed ab illius successoribus nunquam patriæ revisenda licentiam impetrare potuit. Cum multarum linguarum peritus esset, præditusque eximia prudentia ac eloquentia; in animis Habessinorum sine dubio suis narrationibus europæorum institutorum studium accedit. GAMMA, anno CCCCCCLXXXVIII. cum classe MOSAMBICVM delatus, Habessinos quosdam offendit. Hi pictas angelorum imagines in Gammæ navi conspicientes, advenas christianos esse intellexerunt, atque cum iis de patria et religione sua colloquuti sunt.

CAPUT XXIII.

Ab anno CICCI. ad annum usque CICXVI.
Ecclæsa orientalis, generatim spectata; et speciatim græca,
etiam Ruthenica.

§. I.

Transimus ad seculum decimum sextum; quod quatuor spatii distribuetur. Primo sedecim priores anni adsignantur. SELIMVM I. Turcorum imperatorem, qui anno CICXII. regnare cœpit, græcus scriptor tradidit, bene erga christianam gentem animatum fuisse. Nonnulla templorum quæ pater ejus occludi jussérat, christianis reseravit. Ægyptum subjugaturus,

K

cum

§. III. Pos. 39. (b) Iovius. 1. 521.

Topographiam, quæ jam mappa geographica appellari solet.

§. V. Maf. 32. 50. Da. 7. 9. 10. Lu. lib. 2. c. 6. n. 7. Mt. 17.

eum HIEROSOLYMA venisset, christianis sacerdotibus, tanquam piis probisque hominibus, loci praesidibus, pecuniam in alimenta sex mensium largitus est.

§. II. Ad ecclesiam graecam progredimur. CHERSEOGLES, Illyricus, a christianis sacris ad moslemica transgressus, Bajace them II. imperatorem, subinde ab adfligendis christianis astraxit; aliorumque muhammedanorum sepe ab illis auerterit injuriam.

§. III. LEONIS X. prouidentia et benignitate Romæ ad montis Quirinalis radices institutum est gymnasium, in quod nobiles graecæ nationis pueri accesserentur, ne graeca lingua leite loquentium soboles interiret. Mediceum nuncupatum est, graeca etiam schola, et collegium; ac paullo post ejus sedes ad Caballinum montem translata fuit.

§. IIII. Ex variis provinciis, ubi Graeci erant, delecti sunt ingenui pueri, ac in gymnasio hoc graeca litteratura accurate imbuebantur. Ex Corcyrenibus adsumptus est Matthæus DEVAKRVS, cum vix annum agerer octavum.

§. V. Anno c1510. Moldaviae princeps, STEPHANVS, biennio post mortuus, monasterium Zographi in Monte Atho instauravit. Posthac extitit in MOLDAVIA cordatus princeps, qui patriarchalis praefectura mercationem valde abominatus est, unique mercantium, Ioachimo, iterum patriarchæ, id testatum fecit. Scriptor historie politice Constantinopolitanæ: „in MOLDAVIAM profectus est. Sed hujus princeps, cognita hac ecclesiastica disciplinae ambitiosa confusione, adeo ab ipso clementer accipiendo abhorruit, ut ne in conspectum quidem suum admittatur.“ Malaxus: „iterum peregrinari et Moldaviam invisere paravit. Itaque, clericis aliquot comitatus, in viciniam illius peruenit. Resciverat Moldavus de additione, ad tributum a patriarcha facta; cum hic, quingentis ducatis datis, Pachomium e throno excusisset, et ipse inibi se collocaisset. Noluit ergo eum princeps ille recipere, quin ne videre quidem: sed ministros ali-

„quot

§. I. Hc. 40. fin. Iovius. I. 218.

§. II. Iovius. I. 573.

§. III. Boern. 204.

§. IIII. Boern. 205.

, quot misit, qui hominem tota regione ipsius excedere jussérunt,
„ut patriarchatus contra canones raptorem. His auditis, patriarcha
„cha valde indoluit, et pudefactus est. Itinere itaque converso,
„Dölovistum perrexit; ac dolore animi in morbum delapsus, mox
„extinctus est, cum talem sui contentionem concoquere non
„posset.

§. VI. Constantini LASCARIS sensu et hortatu factum est,
ut Roma constitueretur gymnasium Mediceum. Ille rogabat quoque
Pontificem, ut sibi cura adducendi pueros, atque in græco
sermone instruendi demandaretur. Gratificatus est ei Pontifex;
Lascaris bene peregit deleatum, atque nova huic Græcorum scho-
lae primus est præfetus. In ea Basilius quoque CHALCONDYLES,
Demetrii filius, græcas litteras docuit. Marcus MUSURUS, Cre-
tensis, qui Patavii novem, et sex annos Venetiis transegit, anno
tandem xvi. hujus seculi migravit Romam, pius in Deum fuisse
judicatur. Rhenanus: *Omnia tegebat, excusserat omnia*, etc. Hanc
tam consummatam eruditioñem etiam insignis pietas commendabat.

§. VII. LEO X. anno c. I. I. xiii ecclesiæ occidentali præesse
cepit, græcis litteris excultus, illarumque amplificator. PATA-
VII ab initio seculi Marcus MVSVRVS, græci sermonis doctorem
egit usque ad annum nonum. Aldus: *profiteris etiam in clarissimo*
Gymnasio Patavino græcas litteras, tanta frequentia studiorum litte-
rarum Græcarum, ut mirentur omnes plurimum. Erasmus: *toto anno*
vix quatuor intermittebat dies, quin publice profiteretur. Idem refert:
Raphael Regium non minorem annis septuaginta, aspera licet
hyeme, mane hora septima adiisse Musurum, græce profitementem.
Eodem deinceps munere ad annum usque c. I. xvi. *Venetiis*
functus est Musurus. Germanus BRIXIVS, Gallus, Musurum Pa-
tavii per aliquot annos audivit.

§. VIII. REVCHLINVS passim cupidos græca litteratura im-
pertiebat; inter discipulos ejus eminuit Philippus MELANCH-
TON,

K 2

TON,

§. V. Comnenus apud Mf. 487. Hc. 39. Mal. 145. 146.

Adductosque eruditivit, Boern. 204. 205. 208. n. 209.

Litteras docuit, Boern. 204. 205. 208. n. 209. n. On. 343. m.

Pietas commendabat. Boern. 229.

§. VII. On. 339. 340. 343. m. Bgr. X. 70. Sam. 16. 17. Boern. 221. n.

TON, propinqua cognatione ipsi coniunctus, communis postea Germaniae præceptor. LIPSIÆ græcarum litterarum doctrinam explicare instituerunt Richardus CROCVS, Britannus, Ioannes MEZELERVS, et Petrus MOSELLANVS. In Croci et Mosellani schola fuit Valentinus Fridlandus TROCEDORFIUS: qui anno cœlœxv. in schola Gorlicensi primus tam collegas, quam pueros græcum sermonem docere cœpit.

§. VIII. In scholis MVSVRVS, præter eruditionem, Dei quoque timorem impertire studuit; nec hanc curam se junxit ab editione scriptorum antiquorum, quæ consilio ejus et opera jubaratur. Mense Aprili anni cœlœxvi. in publicum prodiere geneis formis descriptæ Sedecim Gregorii Nazianzeni Theologi Orationes. In prefatione Musurus ait: ex multis Nazianzeni orationibus, cunctis quidem illis omni sapientia refertis, nonnullas se elegerisse, quas auditoribus suis enarraret. Iam pridem enim a se cautum esse, ut ex publica græcarum litterarum officina, cui, liberalitate beneficioque Veneri Senatus, tredecim jam annis præfideat, tales prodeant, qui non minus ex pia Dei veneratione probari, quam a litteratura commendari se cupiant. Has igitur sexdecim orationes Gregorianas, tam ad animum vera sapientia imbuendum, quam ad linguam poliendam aptissimas, prelo multiplicatas Asulano, nobilissimis et ingeniosissimis juvenibus, suæ fiduci tuteisque commendatis, sese curasse distribuendas.

§. X. Cherseogles, purpuratus aula turcicæ, Ioanni LASCA-RI, antiquos codices, iussu Leonis X. conquirenti, cunctas Græciae bibliothecas, imperato regio diplomate, libere excutiendas aperuit. MANUTIANA typographia, quæ Venetiis erat, in proferendis codicibus græcis fuit occupatissima. Ab Aldo Manutio evulgabantur lexicographi veteres, Iulius Pollux anno cœlœxli. Harpocratius anno cœlœxlii. Hesychius anno cœlœxliii. et anno cœlœxliii. Suidas.

§. XI. In Russia regnabat Basilius, Ioannis ex Sophia Palæologa filius. Hic et MAXIMILIANUS L. imperator romanorum anno

§. VIII. Lub. §. 20. Godofr. Ludovici Historia Rectorum. I. 107, 108, 109.

§. VIII. Boern. 230.

§. X. Iovius, I. 573. Cru. 487. Bgr. XIII, 605.

anno cIcIcI communis injuria, quam sibi a Polonis illatam putabant, exciti, fœdus inter se pepererunt; non solum adversus illos, sed etiam contra reliquos hostes, in quorum numero Turcus potior habebatur.

C A P V T X X I I I I .

*Ab anno cIcIcI ad annum usque cIcIcXVI.
Nestoriani.*

§. I.

Indiae christianis incolis, quibus a Thoma obtigit nomen, doctrina autem a Nestorianis, alienos a Christo reges, quibus illi subiecti erant, plerumque non adeo multum incommodasse, animadversum fuit. Vasco Gamma, summo classis Lusitanicæ præfetto, Cocini Regis sui negotia confidente, anno cIcIcI repente legati adfuere e Thomæis christianis iis, qui non longe a Cocino Cranganorum habebant urbem. Illorum summa orationis fuit: se & verutissimos Christi famulos esse, & hoc ipso Lusitanici nominis cupidissimos: multa se a barbaris indigna quotidie pati: petere & orare, ut Emmanuelis regis nomine se suaque omnia in patrocinium, fidemque recipiat. Sub hæc deditio[n]is insigne, sceptrum, argento decoratum, Gammæ supplices detulere.

§. II. Ipsos Gamma benigno yultu comiter & amice complexus, bono animo esse jubet, id sibi a rege suo in primis mandatum esse dicens, ut pressis optuletur christianis: at nondum sibi hoc per Calecutanorum infidias & quotidianæ vitæ discrimina liquisse: ac ne tum quidem ob angustias temporis, reditu jam jamque imminente, posse illis, quam vel maxime cupiat, operam studiumque præstare. Cæterum, quæ prima se occasio det, enixe curaturum, ut non sine causa christiani omnes in Regum Lusitanæ pierate opibusque certissimum sue saluti, commodis-

K 3

que

§. XI. Pos. 39. (b). Ahl. II. 568. b. init. Iovius. I. 521. VR. I. 356.

II. 185.

§. I. Maf. 84. 89. dh. I. 271. 272.

que præsidium esse constitutum intelligent. Interea si qua necessitas incidat gravior, ad Lusitanum confugiant præfectum, quem firmo cum præfido sit in India relicturus.

§. III. Thomæ de vaticinio etiam narrarunt Lusitanis, auctorem ejus, quanquam fabulose, ut videtur, dictitantes esse Thomam, apostolum; quod Massejus his verbis commemoravit: „defixa (*in Meliaporis pomærio*) lapidea cruce, vaticinatus est (*Thomæ*:) cum ad eum lapidem usque perlingeret pelagus; tum, divino iussu, e remotissimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipse intulisset, sacra instauranda venturos. Neque fecellit prædictio. Siquidem sub Lusitanorum appulsum, occultis tot annorum accessibus locus oceano demum allui cœptus.

§. III. Rei divinæ procurandæ cauſa, in urbe, Colano, anno cIɔIxIII. sedem naſtus est R H O T E R I C V S Dominicanus, cui a suis morum integratas, & doctrinæ præstantia tribuitur. Is Thomæ quoque infervire potuſſet.

§. V. Anno ſequenti cum tutores regis Colanensis per legatos ab A L B V Q V E R C I O, novæ classis Lufitanicæ prefecto, fœdus & amicitiam peterent; hic Thomeorum familiis, Colanum incoletibus, in fœdere præcipue cavit, eas multis & gravibus liberans injuriis.

§. VI. Anno circiter cIɔIxVI. TRISTANVS, ab Emmauele missus, ut ſocoratae, insulæ mariis Erythrai, incolas christianos ſectæ nestorianæ a muhammedanorum fervitute ac tyrannide liberaret, cum claſſe ad ejus portum, Beninum, venir. Parta victoria, arcessiti christiani ad pedes Tristani cum lacrymis acciderunt, muhammedani tyranni injurias graviter querentes, atque per Christum Jesum obſecrant, ut e tam acerba ferviture iisdem ſacris deditam, ejusdemque ſpei conſortem nationem eriperet. Quibus ille, ſe vel ob id ipsum ab Emmanuele Rege, ſalutis eorum cupidissimo, in ea loca destinatum eſſe respondit; quam ob rem præſidium ad muhammedanos arcendos libentiffime

§. II. Maf. 89.

§. III. Maf. 86.

§. III. 100.

§. V. 100.

me relieturum. Itaque arcis custodia cum idonea manu Alfonso Noronie, Lusitano, concredita est.

§. VII. Id etiam Tristanus in mandatis habebat, ut hos christianos ad ecclesiam romanam adjungeret. Illorum igitur hostibus, muhammedanis, debellatis, cum ipsi, ut jam dictum est, ad praefectum supplices accederent; hic, se sacrorum anti-stitem curandis animis relieturum promisit. Deinde Arabum fānum in templum convertit, constituitque, qui sacris praecesset. Massetus: „rei vero christianæ prepositus eximia sanctitate vir, Antonius LAVENTIVS, Franciscanus: qui tollendis vitiis, quæ in hominum mores ac religionem irrepserant, incolisque ad veram pietatem ac virtutem erudiendis, aliquot annos plane apostolico munere est functus.“

§. VIII. Thomæ codicem sacrum, aliosque libros habebant, Syriace redditos. Socoratenes ante Lusitanorum adventum subterraneos inhabitabant specus: precandi stata quotidie tempora observabant; in sacras ædicas conveniebant frequentes; hebraice (vel potius Syriace) concepta precationis verba praibat unus, tum instar chori cætera turba subsequebatur.

§. VIII. Egregias Thomæ, apostoli, laudes ac fortiter obitum pro Christi nomine mortem pueris Malabaribus parvo carmine, quod a christianis thomæis puto compositum fuisse, de cantare mos erat.

C A P V T XXV.

Ab anno cIcIor. ad annum usque cIcIxvi.
Habessini.

§. I.

De victoria, quam Habessini a Muhammedanis reportarunt, hoc refertur: „claruit insignis dux Adelensis, nomine (*Maf-sudius, muhammedanus:*) qui gnarus, Habessinos jejunia

„qua-

§. VI. Maf. 127.

§. VII. 128. 129.

§. VIII. dh. I. 128. Maf. 127. 128.

§. VIII. Maf. 88.

„quadragesima stricte & rigide observare, illo tempore quotannis
 „incursiones in Habessiniam fecit, multis hominum millibus in
 „captivitatem abduxit, idque per xxv annos continuavit: etenim
 „Habessini, jejuniis emaciati, hostibus plane impares erant: adeo
 „ut (spatium) sexaginta leucarum & amplius igne atque ferro vasta-
 „retur, &c. (Tandem) David, Rex, jam strenuus adolescens, per
 „exploratores cognito, ubi hostis irruptionem facturus esset,
 „raptim exercitum contraxit, & ad pylas montium, per quas Rex
 „Adela cum duce suo, Maffudio, transierat, castra posuit. Igi-
 „tur Maffudius, conspecto rubro Negusi tentorio, pavens, regi
 „suo dixit: ... cum paucis militibus procul inde per prærupta
 „montium in loca tuta se reciperet; se hic cum exercitu vel vi-
 „tetur vel moriturum. Ipse dux, rebus desperatis, cum nul-
 „lum per fauces montium retro effugium daretur, tanquam al-
 „ter Goliad, prodiit, & ad singulare certamen unum ex hostibus
 „provocavit; sperans, si viator existeret, se Habessinis, auspicio
 „tali pavidis, facile superiorem futurum. Sed monachus fortis
 „& audax, Gabriel Andreas dictus, inito certamine, eum vicit, ca-
 „putque amputavit; quo facto, hostes omnes ad unum cœsi fue-
 „runt, ne nuntio quidem rante cladis relieto. Caput ducis tam-
 „dis Habessinis tremendi, per tres annos asservatum fuit: idque
 „ipse Alvarezius vidit; & carmina audivit, quæ de fortitudine
 „& impavido ejus (monachi) animo caneabantur.

§. II. Europeis innotescere coepit ecclesia HABESSINO-
 RVM, quanquam non sine fabulis; qualis illa de Presbytero Jo-
 hanne est, gentis principe. Anno cIcIcI. Daventrie vulgata
 fuit *Prestiosi sive Presbyteri Joannis, Regis Æthiopie, de ritibus &*
moribus Indorum epistola; anno cIcIcXIII. Andreas CORSALVS de
 Galvani in Habessiniam itinere epistolæ ad Hetruriæ ducem scri-
 psit; quæ postea in lucem emissæ sunt.

§. III. COVILLANIUS, Lusitanus, superstes erat in Ha-
 bessinia, multaque de Lusitanorum rebus gestis in aula narravit.
 Quarum rerum fama, incipiente mox expeditione Indica, aliunde
 etiam in regnum istud pervenit. Viam ille aliis quoque mo-
 dis

§. I. Luc. 256. f. 257.

§. II. Fa. 691. Luc. XIII. no. 65.

dis invehenda ex Europa culturæ animorum parare perrexit. Enectus ad amplissima munera uxorem duxit nobilem; ex qua multos filios suscepit.

§. III. Gavisi sunt Habessini, muhammedanorum labefactari potentiam, Ægyptum, in eaque patriarcham suum in libertatem vindicari, iter quoque Hierosolymitanum nunc patescere posse sperantes.

§. V. Huc præterea se contulerunt bini Lusitanî; IOANNES, sacerdos, et Ioannes GOMEZ: petebantque, sui in India ducis nomine, commeatum, et milites auxiliarios. HELENA, regina, duci Lusitanio renuntiandum curavit: se ad mittendum utrumque paratum esse.

§. VI. Anno circiter 1518. MATTHÆUM, natione Armenium, mercatorem, adjuncto nobili juvencu[m] Habessino, legatum ad Emanuelem Lusitanie regem, proficiisci jussit; qui, diu Goæ detentus, anno denum 1513. Olyssiponem advenit. Helena attulit litteras, in quibus hæc inter alia erant: „Nos itaque aduersus illorum (Ægyptiorum) impetum missuri sumus militum copias, quæ maneam ad frustum Mechæ, scilicet Babel Mendel, aut certe, si id tibi commodius videbitur, ad portum Iudæ, aut Thor: ut tandem auferas perdasque hujusmodi Mauros, et incredulos ex superficie terræ ita, ut dona et oblationes, quæ adseruntur ad sanctum sepulcrum, deinceps non vorentur a canibus. Adestit jam tempus illud promissum, quod, ut ajunt, Christus et mater ejus, Maria, prædisxere, quod scilicet in postremis temporibus oriturus esset e regionibus Francis rex quispiam, qui abolitus esset universum barbarorum et Maurorum genus: et hoc ipsum quidem nunc tempus est, quod Christus laudarissima sue matri futurum promisit, etc. Ceterum si vobis visum fuerit, aut vestras filias matrimonio jungere nostri filii, aut nostras filias dare vestris filiis: id et nobis in primis pergratum erit, et utrisque utile, et fraternali inter nos initium federis; quod quidem nuptiarum connubium cum in presenti, tum etiam in

L

„posterum

§. III. Da. 9. La. 213. Lu. lib. 2. c. 16, 1.

§. III. Lu. lib. 2. c. 16, 1.

§. V. Da. 10. II. fin.

„postumer tecum inire percupimus, etc. Ad hæc autem vos certiores facimus, si bella exercitusque conjungere velimus, satis virium nobis futurum esse ad divino accidente auxilio abolen-dum universos nostræ sanctæ fidei inimicos. Verum nostra regna et ditiones sic sunt in mediterraneis sita, ut nusquam in maria possimus erumpere. Quare nihil nobis est potentiae in mari, in quo, Deo (sic) laus, vos omnium estis potentissimi. Iesus Christus sit vobis auxilio! Res enim, quæ in India per vos gestæ sunt sunt profecto magis miraculæ plenæ, quam humanæ. Quod si mille velis armare naves, nos et commeatum dabimus, et cuncta, quæ ad eam classem opus erunt, abunde suppeditabimus.

§. VII. ROMÆ Habessini domus data est, cum aedicula Stephano sacra, in Vaticano post maximi templi testudinem, Petro dedicatam; ubi illis suo more sacra facere licebat.

§. VIII. IOANNES POTKENIVS, Colonensis Præpositus, anno cIoxxi. Romæ in lucem edidit sermone æthiopico, Habessini proprio expressum Psalterium, cum veteris testamenti hymnis et Canico Salomonæ.

§. VIII. NAODO, rege, anno circiter cIoi. demortuo, DAVID puer, regnum accepit; quod avia, HELENA, ejus loco per hanc aratrem administravit. Hæc probatissimis Davidem fertur imbuuisse moribus: duos etiam composuisse libros; unum de sacro sancta trinitate, et Mariae virginitate, alterum de Dei lege. In aula inter præcipuos cooptatus fuit MATTHÆVS, Armenius, mereator, vir multarum rerum linguarumque, speciatim arabicæ, peritus. ROMÆ nonnullos gentis hujus monachos commoratos esse legimus relatum.

§. X. Cum his multum versatus est IOANNES POTKENIVS, illorumque linguam iisdem præceptoribus percepit. Primus in

Naves. Ludolfus ea putat. navigia, qualia fuerint accolarum maris rubri, intellexisse.

§. VI. Da. 12. 13. 14. 81. Maf. 220. 234. La. 213. Lu. lib. 2. c. 16. 1. Luc. 224. 258.

§. VII. Luc. 29. (9.) Iovius, 1. 866.

§. VIII. Lu. lib. I. c. 15. 9. Luc. 2. no. 8. 298.

§. VIII. Da. 10. 11. 82. Iovius. 1. 867. Luc. 2. no. 8. Potken in Præf. Psalterii sui æthiopici.

in Europa linguam hanc vulgavit; jam canus Romæ typographiam condidit ethiopicam.

§. XI. MATTHÆVS, orator Habessinus, in Lusitania pertin-
nentium ad ecclesiam habessianicam rerum haud contemnendam ex-
citavit cognitionem; attamen, ut Armenius, illarum non satis
gnarus, veris nonnunquam falsa deprehenditur admiscuisse.

CAPUT XXVI.

Ab anno c. IIICCLCI ad annum usque c. IICCLCI.
Ecclesia orientalis, generatim spectata.

§. I.
Secundo spatio tractus temporis ab anno xvii. ad annum usque
xxxxvi. huius seculi continetur. Anno c*1*o x*vii*. Deus
occidentali ecclesiae excitavit apostolicæ doctrinæ instauratorem,
LUTHERUM, cum sociis; qui trunco theologiae caput restituit,
scripturam sacram: ex cuius opere orientalis ecclesia posthac fru-
ctus quosdam bonos cepit, pluresque suo tempore perceptura est,
sicuti speramus.

§. II. ZAGAZAABUS, episcopus Habessinus, et Regis sui ad Lusitanum orator, quomodo orientales christiani ab occidentalibus tolerandi sint, hunc in modum declarat: „Apostolus quo- „que ait: is, qui manducat, non manducantem non spernat; et „qui non manducat, manducantem non judicet; quoniam is, „qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Do- „mino non manducat. Quamobrem indignum est, peregrinos „christianos tam acriter ac hostiliter reprehendi; ut ego de hac „re, et de aliis, que minime ad veram fidem spectabant, repre- „hensus fui. Sed multo consultius erit, huiusmodi christianos „homines, sive Gracos, sive Armenios, sive Aethiopes, sive ex „quavis septem Christianarum Ecclesiarum, in caritate et Christi „amplexibus sustinere, et eos sine contumelii permittere in- „ter alios fratres christianos vivere ac versari; quoniam omnes filii „baptismi sumus, et de vera fide concorditer sentimus. Nec est

L 2

„caufa“

§. X. Lu. lib. I. c. 15. no. 9. Luc. 2. no. 8.

§. XI. Da. gr.

„causa, cur tam acriter de ceremoniis disceptetur: potius unus
 „quisque suas obseruet, sine odio & insectatione aliorum: nec
 „commerciis Ecclesiæ ... excludendus est, qui peregre in alienis
 „provinciis domesticos ritus obseruat; etc. Quod autem vox
 „illa dixit, Petre occide, id apud nos in hunc modum explicatur:
 „Petre baptiza. Et quod dixit: Petre, comedete, interpretamen-
 tum habet, ac si dixisset: doce, et prædicta fidem ac legem Do-
 mini nostri, Iesu Christi populo, Israël, et gentibus, etc.
 „Porro sciendum est: cum scriptura loquitur de pane, non intelli-
 gendum esse cibum, nec corporale nutrimentum: sed explica-
 tionem ac expositionem Christi et Scripturarum doctrinæ. Con-
 sultum profecto est, omnes doctores & prædicatores de hoc
 linteo, quod ostensum fuit Petro, sublimia et alta docere; &
 non illa, quæ infima sunt, et quæ nihil ad salutem videntur per-
 tinere, etc. Ideoque fratres mei, non oportet nos contemnere,
 neque insectari alios; quoniam Jacobus ait: qui detrahit fratri,
 aut judicat fratrem suum: detrahit legi, et judicat legem. Pau-
 lus quoque docet: melius esse, unumquenque vivere contentum
 suis traditionibus, quam cum fratre christiano de lege dispu-
 tare: rursus, non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad
 sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.
 Quapropter indecens est, cum fratribus de lege, aut de delectu-
 ciborum disputare: quod esa nos non commendat Deo; præ-
 fertim cum ipse Paulus, Apostolus, dicat: nec si manducaveri-
 mus, abundabimus; nec, si non manducaverimus, deficiemus.
 Idecirco altiora & celestè cibum queramus; et has infimas et
 inanæ disputationes omittamus.

§. III. Iovius: „Romæ Orientales peregrini christianaæ pro-
 fessionis, Abyssinique præseriū, post maximi templi testudinem,
 propriū cum domo delubrum habent; ubi suo more sacra
 conscient, alunturque pontificis sumtu, et pia benignitate aulæ
 sacerdotum.

§. III. IESUITARUM ordo, anno cI o xxxx. a pontifice so-
 lenniter confirmatus, in expressis gentium nominibus, ad qua-
 rum

§. II. Da. 71. 73. 74. Lu. lib. 3. c. 9. (8. 15.) Luc. 29. (9.) 467. (num. 96.)
 §. III. Iovius. I. 866.

rum curam suscipiendam se emitti velint, hereticos quoque et schismatis, qua appellatione orientales etiam Christiani continetur, memoravit.

CAPUT XXVII.

Ab anno CICLXVII. ad annum usque CICXXXXVI.

Ecclesia græca; ad eam profecta a Muhammedanis et Christianis occidentalibus.

§. I.

Ieremia, qui Sophie fuerat metropolita, iterum patriarcha constantinopolitano, doctiores ex Turcis ostendebant:—legem poscere, ut in oppidis, que, gracis deditio nem recusantibus, vi expugnata fuerint, nullum illis relinquatur templum; Constantino-
polin vero minime fuisse traditam. Itaque parati erant certo die con-
currere, et cuncta vrbis hujus templo, que christiani habent, de-
moliri. Xenaces quidam, vir christianus, cum Cadilescerem de more
salutare, hic illi dicit: *scisne, quid futurum sit?* „die post hunc
„quinto, omnia vestra templo, atque ipsum adeo Patriarcheum a
„fundamentis discentiar.“ Lex enim exiit: quodcumque oppi-
„dum oppugnatum ferro captum sit, in eo Graecum templum
„omnino nullum esse relinquendum.“ Xenaces, quod audiverat,
„Patriarchæ cum lacrymis indicavit.“ Hie adiit supremum pur-
puratorum, Tulplum nomine, sibi faventem; qui vim intenta-
tam fraude elusit; cuius a patriarcha facta participatio nequit
approbari.

§. II. In eorum numero, qui græcorum saluti studuerunt, Ludovicus TUBERO fuit, Dalmata, abbas, vir, inde quoque notus, quod libere professus est ecclesiae suæ, romanæ scilicet, corrup-
tæ, acri subinde addita censura; jussitque suos apostolicam religio-
nem intueri.

§. III. Notiores græca ecclesiae doctrina resque alia factæ
sunt europæis cum per alia scripta, tum per GENNADII Con-
fessio-

L 3

§. III. Ea 551. Vej. 2

§. I. Malaxus in Cru. 156.

§. II. Tubero 159, 337. 339. 333.

fessionem, Viennæ, a Ioanne Alexandro Brassicano, evulgatam.
TUBERO, græcæ alatina ecclesiæ discrimen tantum non esse, monuit, quantum vulgo credatur.

§. III. Hic queritur: sumere Turcos a noto sibi orientalis et occidentalis ecclesiæ odio mutuo continuandæ christianorum oppressionis præsidium. Principes europæos, maxime autem pontificem romanum, quod Taurunum, urbem, quam Mæsi, græca profitentes sacra, incolebant, a Turcis siverint adimi, reprehendit.

§. V. Posteaquam Hungarus, *inquit*, (*auxilium adversus Turcos rogans*) peroravit; pontifex paucis ita respondit: „auxilio vos, „Hungari, dignos censemus: sed quia nulla in æterio pecunia „est, qua vobis hoc tempore opitulari possemus; nam et nos ex- „ercitum alere cogimur, in cuius stipendum non modo vim ma- „gnam ecclesiasticæ pecuniaæ, sed etiam mutuo acceptæ, exhaustimus; „vosmet ipsi vobis nunc consultite. Cum autem status Italie tran- „quillior fuerit, Hispanique et Galli, quod propediem futurum „est, inter se fœdus inierint; curæ nobis res Hungarica erit.

§. VI. Et paucis interjectis: „cæterum, quum legibus pon- „tificiis prohibitum sit privatis sacerdotibus militare: cur summis „pontificibus vel injusto bello certare liceat, ut adversus Ferrarensi- „sem ducem per summum etiam scelus factitatum est, non video; „nisi forte pontificum fortuna, in excelsis sita, extra hominum „censuram est. Atqui nullæ opes malefacta ab infamia vindicare „possunt.

§. VII. Subjungit: „haud oblitus modestiæ atque officii mei, „pontificiæ majestatis, cuius sane auctoritate apud menihil an- „tiquius est; sed dolore amissi Tauruni hæc de romano pontifice „liberius forsitan, quam par esset, dixi. Ego enim ita opinor, „rem christianam hujus urbis amissione multo graviore, (*salem* „*indignorem*) fecisse jaeturam, quam quæ olim facta est, Constan- „tinopoli eversa: propterea, quod harum altera urbs, antequam „ab hoste caperetur, a romana jam societate per summum scelus „ultra defecrat; altera regi socio, et in romanam ecclesiam optime „animato,

§. III. Cy. 343. init. Tubero. 159. 339.

§. III. Tubero. 339.

„animato, non sine Italiae periculo, Hungarorum maxime negligentia, & hostili fraude ademta est.

§. VIII. MELANCHTHON ita fatur: „et si enim passim adhuc in Græcia reliqui sunt christiani; tamen certus numerus liberorum paribus familiarum eripitur, qui ad turcos ritus et ad militiam instituuntur, etc. Quam misera servitus est, ubi religiones de- lentur, civilis disciplina tollitur, avelluntur liberi a parentibus ad impietatem, saepe etiam ad stupra, et nefarias libidines, etc. Principes vero christiani nominis ad propulsandam illam pestem omnia consilia & omnes vires conferre debebant. Ecclesia, contaminata multis vitiis, impiis cultibus & aliis peccatis toto orbe terrarum, dat penas. Hæc causa est, cur tanti fuerint successus turcicæ gentis. Sed vereor, olim haec (*Germanorum*) nationem & reliquias vicinas, daturas esse penas, cum reliquorum virtuum, tum vero etiam negligentiæ, quod hostem, summa crudelitate in vicinia & fere ob oculos graffantem, et exercentem foedissimum latrocinium, non arcemus; quod græcam nationem, cum qua religione, societate imperii, & multis fœderibus coniuncti fuimus, non ex hac miserrima servitute eripimus. Pau- lo ante adhuc Græcia domicilium fuit doctrinæ, religionis & omnium optimarum artium, etc. Illud saltem confidere, quis, quam alienum sit a pietate, non affici acerbissima calamitate ejus partis ecclesiæ, quæ omnium longe florentissima fuit. „
§. VIII. TUBERO, monitis quibusdam mitigatum ivit suorum in Græcos, horumque in suos odium, cuius sublationem ei & græcorum emendationem, et latinorum ad recte græcis medendum præparationem fore videbatur. Enarrato supplicio, quod Maverdinus pro religione christiana subiit, addit: „hunc exitum vita perditorum hominum scelere Hadriano politanus habuit, ne a vera deficeret religione, sortitus plane mortem perpetuo celebrandam præconio, & dignam eo christiano, qui in cetero romanis ritus natus esset: quanquam ad felicitatem consequendam, quæ post hanc

§. VII. Tubero. 337.

§. VIII. Iovii rerum ture. Comment. Vitemb. 1537. præf. Melancht. A. v.
(b) VI (a).

„hanc vitam christianos manet, diversitas ritus nihil obstat; modo „ad sit ea religio, quam apostoli, divino spiritu pleni, per terra- „rum orbem tulere.

§. X. Alio loco scribit: „(haud desperabant Solimanus, rex tur- „corum, ejusque duces, ad oppugnationem Sabætii et Tauruni acceden- „tes) celerem Mœsorum, qui urbes eas incolebant, ditionem „etc. quia credebant, Mœsos eo, quod ritu religionis ab Hunga- „ris, qui in præsidio erant, discreparant, malle in tureicam „concedere ditionem, quam his subesse, qui Pontifici romano „æque ac principi christiane ecclesiæ parent: nempe alteri alteros, „sive mentis insania, sive, nescio qua, Dei in christianum no- „men ira, in numero impiorum acceleratorem habent; Schismati- „tivoisque et sacris arcendos putant: quanquam utraque ecclesia, „modo ab sit verborum perniciofa contentio, idem deo sentiat; „ceremoniis tantum, non autem religione altera ab altera diffe- „rens. Quis enim negat, græcam ecclesiam æque ac romanam „viros Deo acceptissimos, et inter divos a sanctis patribus rela- „tos, tulisse.

§. XI. Clemens VII. aliquam græca ecclesiæ curam gessit. Plus huic profuit, que in occidentali facta est, doctrinæ christianæ emenda-
datio. ANTONIVS, Eparchus, Coreyræs, MELANCHTHONEM
epistola, Venetiis die xxii. Februarii cIɔIxxxviii. scripta,
compellavit, horrens, ut pro doctrina sua et autoritate Germanos
ad pacem ecclesiasticam inclinare vellet. Interjecto anno,
postridie Pentecostes Ioachimus CAMERARIUS longiore epistola,
Matthiae Irenæo inscripta, ad Eparchi hortationem respondit,
culpam mali in pontificiis esse ostendens, utpote quorum crude-
litas nullis verbis pacificis locum relinquat.

§. XII. Idem CAMERARIUS dicto anno Psalmum cxxxvii. de
Concordia græco carmine expressis; & anno cIɔIxxxvi. de belli
Schmalkaldici, inter Carolum V. & Protestantium duces gesti, origi-
ne, progressu et exitu græcum scriptis commentarium.

CAPVT.

§. VIII. Tubero 159.

§. X. Tubero 339.

§. XI. Pos. B. 18. (b). Hot. XVI. scđ. II. 39. Cru. 103, m. 495. fin.
Bgr. XIII. 500. Vej. 47.

§. XII. Bgr. XIII. 514, 515.

C A P V T X X V I I I .

Ab anno c^lIX^cXVII. ad annum usque c^lIX^cXXXVII.

Ecclesia græca: interna; & ab illa profecta ad occidentalem.

§. I.

In Patriarcharum numero reperiuntur Theoleptus, & Joannius, in quibus divina pena a Græcis animadversa est. De Theolepto Malaxus hæc memoriae prodidit: „Accusatus est hic patriarcha libidinis nomine: catholicæ ecclesiæ magnum inde offendiculum & perturbatio accidit. Synodo dein hujus rei causa „a reverendis clericis advocata; decretum est, a Sultano facultatem esse petendam, ut pontifices, ad inquirendum de criminione Patriarchæ congregentur, verumne an falsum dixerint, „& accusatores, & testes: quia utrique viri fide digni erant. Euntes igitur clerici in regium Senatum; mandatum & potestatem „inde extulerunt. Cumque nuntios pararent, quos acciendorum pontificum caussa emitterent: deturbavit illum subito diuino gladio suo summus omnium pontificum, Christus, Deus „noster, & rex regum; qui novit occulta hominum, tum justorum, tum peccatorum, & unicuique præmia pro factis suis persolvit. Incidit enim Patriarcha in gravem morbum, & repente exspiravit.

§. II. De Joannicio, antehac Sozopoleos metropolita, qui antecessorem, adjectis per amicos annuo c^l c^l c^l ducatorum tributo aliis quingentis ducatis, dignitate dejiciendum curaverat, idem scribit: „Illum autem suppositum patriarcham, Joannicum, civitate expulerunt; qui, pudescens, discessit, probris, contumeliis, anathematica execratione omnibus . . . incessenterbus. Nec multo tempore post malus male & cum dolore periit: anathematique constrictus, ceu tympanum inflatus repertus est; quandoquidem a quatuor patriarchis, propter iniquitatem suam ecclesiae confortio spoliatus fuerat. Ita penas, merito suo dignas, miser dedit.

M

§. III.

§. I. Cru. 153.

Pontifices, gr. ἀρχιεπίσκοποι.

§. II. Cru. 156.

§. III. Antequam Jeremiae , qui antea Sophia metropolita fuerat, successor eligeretur, congregati antistites & populi principes de profliganda dignitatis patriarchalis mercatione decreta condiderunt. Malaxus: „Aderat tunc in magna ecclesia patriarcha quoque Hierosolymitanus; cui nomen Germanus erat: & concilio ipse etiam intererat. Longa de patriarchico solio disputatio habita, unanimis salutare scitum fecerunt: quod etiam scripto mandaverunt: & infra tum Hierosolymorum Patriarcha subscriptis, tum quoquod aderant, pontifices ac clerici &c. Illa sanctio hoc continet: Quicunque præfulum vellet ullo modo fieri patriarcha, absque eo, ut cuncti essent congregati pontifices, metropolite, archiepiscopi, & episcopi tum orientis, tum occidentis, tum Peloponnesi; hunc . . jam . . per se condemnatum, pontificatu & solio dejectum esse. Ac condemnationem, & ab ecclesiæ . . consortio sejunctionem, Heracleæ Antistites, sacro humerali & collari . . indutus, promulgavit. Tunc, concordi voce (audita,) miserrunt pernices nuntios ad pontifices, cum regio mandato, eos congregarunt universos, & apud provincialem judicem hoc constituerunt: Quandocumque aliquis, patriarchatum sitiens, non accederet in patriarchatum, sed tantum coitione aliquot pauciorum præfulum, clericorum & Primorum legeretur, perinde, ac si ab universorum concilio electus esset: tunc Synodus esse cogendam; in qua is dignitate sua moveretur, & longe a magna ecclesia eradicatus præjiceretur. Improbabilem hanc, a nundinatione Simonis, Magi, de quo in libro rerum, ab Apostolis Christi gestarum, (mentio facta sit) ortum & nomen habere: contra quam exstare Canonem Apostolicum. Multa alia absurdæ & legibus adversa in disciplinam rectam pugnare. His vitiis profligatis, in sacro omnium concilio legendum esse patriarcham, qui pacifice, absque omnino offendiculo, citra omnem vexationem & molestiam, summæ rerum præsit.

§. III. JOANNICIVS, hieromonachus & protosyncellus, scripsit: se ab Arsenio, Monembasiensi archiepiscopo, non propter

pter peccatum aliquod, sed ob studium pietatis & veritatis, in carcerem fuisse conjectum: in hoc, ut melancholicis liberaretur cogitationibus, se librum compofuisse, FLOREM dictum, in quem ea, quæ unicuique christiano indocto, qualis sit ipse, necessaria sint, ex Veteri ac Novo Testamento excerpta retulisset. Anno cl̄ I xxviii. Menologium Maximi MARGVNII, ex Menæis excerptum, sermone græco vulgari Venetiis ab Antonio PELLO edebatur.

§. V. Rōmæ adhuc erat Janus LASCARIS, insignis ille græcæ litteraturæ propagator: sed anno cl̄ I xviii. in Galliam se contulit; sub vitæ tamen finem illuc reversus est. Mutinæ aliquandiu græcarum litterarum magister fuit Franciscus Portus, Cretensis. Anno circiter cl̄ I xxxv. Senatus Augustanus Venetiis codices græcos, manu exaratos, ab Antonio, Eparcho, nummis aureis oītingentis redimendos curavit. Græcorum idioma vulgare, recte etiam barbarum dictum, intelligendi viam primus monstrare cœpit Stephanus a SABIO in libro, cui titulus est Corona pretiosa. Venetiis anno cl̄ I xxvii. typis excudebatur; habetque vocabulorum interpretationem ex linguis, græca antiqua, latina & italica.

§. VI. In Galliam LASCARIS venit, FRANCISCUS I. accitu, qui cum illo & BVDÆO de re litteraria amplificanda deliberavit. Factum igitur est, ut in Fonte bellaquo bibliotheca conderetur, in quam græci codices, manu exarati, & partim a Lascare traditi, inferebantur. Eorundem & BELLAJI hortatu institutum est collegium duodecim professorum, ad linguarum & liberalium artium provehenda studia. Germanus BRIXIVS, Musuri discipulus, inter eos censeri meruit, qui primi ex Italia elegantiores litteras in Galliam traduxerunt. Petrum Gillium Franciscus, rex, bibliotheca instruenda caussa, in Græciam & Asiam legavit, ut Græcorum auctòrum, qui nondum typis excusi essent, codices, manu scriptos, undique conquerireret, in Galliamque adferret.

M. 2

Quæ

§. III. Cru. 199. f. Bgr. VIII. 35.

§. V. Bærn. 208. 210. Cru. 522. m. Sam. 16. Bgr. XIII. 533. not. X.

Quæ tamen peregrinatio parum illi prospere cessit: a barbaris enim interceptus, & in Africo littore durissimam carceris molestiam perpessus, vix tandem Armeniaci, purpurati romani, eura & liberalitate redemptus evasit. A Clemente VII. ad Carolum V. legatus Janus LASCARIS orationem habuit de concordia inter christianos constitienda, & de bello, Turcis inferendo.

CAPVT XXVIII.

*Ab anno cI 10 xvii. ad annum usque cI 10 xxxxvi.
Rutheni; & Nestoriani.*

§. I.

De Moscovitarum ecclesia scripsit Joannes FABER, Viennensis episcopus. Romanus imperator, CAROLVS V. cum Ruthenis cæptam continuavit amicitiam, & adversus Turcum fedus. Anno circiter cI 10 xxvi. Pontificis, CLEMENTIS VII. legatus pacem inter Basilium, magnum Moscoviae ducem, & Sigismundum I. Poloniae regem, conciliavit. Tum a Basilio legatus, DEMETRIVS nomine, ad Pontificem venit. Inter illum & Paulum JOVIVM Romæ intercessit familiaritas. Hic Pontificis iussu, docente Demetrio, Moscorum mores & eorum regionis situm peculiari libello descripsit. Ex Casanensibus Tartaris Princeps, MACHMEDIMVS christiana sacra amplexus est; quem Basilius postea illorum gubernatorem constituit: verum a fide defecit.

§. II. Meliapore varia veteris Thomæorum ecclesiæ monumenta derexerunt Lusitani sacerdotes. Cum Alphonsus Albuquerius Goam, secundo expugnatam, muniret; sub veteri muro, qui eruebatur, crucis ænea reperta est imago; ex qua intelligi poterat, hic etiam cœterus aliquius nessoriani olim fuisset fedem.

§. III. Michaël VASÆVS, sacerdos, consiliis cum Francisco

§. VI. Bærn. 208. 209. n. 217. Sam. 16. 28.

§. I. A. u. N. 1730. 52. Pos. III. 122. (b) Jovius I. 521. Schleising. S. 68.

§. II. Maf. 362. f. 576. f. Bd. 73. b.

eisco XAVERIO communicatis, anno cl̄o l̄o xxxxv. navigavit in Lusitaniam, Indicæ rei vitia demonstravit regi, ac ut ea tollerentur, omni ope curavit. Ab eodem rege anno sequenti litteras ad Castrium, prætorem, retulit, in quibus hoc etiam erat: „Pondera, pretia, pactiones, olim cum Thomæis christianis initas, qui in Cocinensi ditione divendunt piper, a nostris mercatoribus labefactari violarique cognovimus: nec non subtrahi corollaria, quæ ad pretium addi ex pacto convento consueverant: id que magno cum eorum damno pariter & offensione, quibus multas ob causas præcipue consultum oportuerat. Ac proinde curabis quam diligentissime, ut in hisce commerciis Thomæi prorsus incolumes indemnesque serventur: eosque cæteris etiam in rebus, uti christianos & socios æquum est, liberaliter comiterque tractabis.

§. III. Anno circiter cl̄o l̄o xxxx. Damianus a GOES, Lusitanus, Thomæorum, quos Indorum nomine vocabat, curam Paulo III. pontifici commendavit, hortans, ut viri, sacrarum litterarum disciplina instructi, ad illos mitterentur. Anno cl̄o l̄o xxxxvi. sub auspiciis Joannis ALBVQVERCII, archiepiscopi Goani, CRANGANORÆ conditum est collegium, in quo Thomæorum proles latinam lingua & religionem doceretur.

CAPVT XXX.

Ab anno cl̄o l̄o xxvi. ad annum usque cl̄o l̄o xxxxvi.
Habessini: ad eos profecta a gentibus & muhammedanis: item a Christianis occidentalibus; impertita Europa notitia rerum Habessianarum.

§. I.

Circumfessa licet a muhammedanis & gentilibus, ecclesia Habessinica perstatabat incolmis. Tzagazaabus: „nec illud prætereundum viderut, nos ab omnibus lateribus circumdatos esse ab hostibus nostræ fidei: cum quibus crebro con-

M 3

„figimus,

§. III. Maf. 572. Bd. 141. (b) f. Dh. I. 272.

§. III. Da. 5. Mon. 99. Dh. I. 272. 273.

„figimus, semper secundo marte usi; quas victorias numinis au-
„xilio imputamus.“ Sed Davide post Helenæ obitum in volupta-
tes illapso, Turcisque Aegypto & quibusdam maris rubri portu-
bus potiris, & Adelensi regi opem ferentibus, muhammedani
superiores facti ingentem Habessinæ calamitatem intulerunt.

§. II. Scripta europei naeti sunt ad plura de Habessinis co-
gnoscendum, at non paucis vitiata erroribus. Damianus a GOES,
qui ex legatorum Helenæ & Davidis consuetudine multa intelle-
xerat, libellum composuit, anno c1510 xxxii. Antverpiæ evulga-
tum, inscriptumque: *Legatio magni Indorum Imperatoris, Presby-
teri Johannis, ad Emanuelem, Lusitaniae regem, A. D. c1510xiii.*
in quo de Indorum fide, ceremoniis, religione, &c. per Matthæum,
illius legatum coram Emanuele, Rege, pluribus agitur.

§. III. Joannes BERMYDES, ab anno c1510xx. in Habessi-
nia versatus, de gestis ibi rebus scripsit. Dresden c1510 xxxiii.
germanice edebatur Legatio regis Davidis, qui Presbyter Joannes
dicitur, ad Clementem VII. Franciscus ALVARVS, sacer-
dos Lusitanus, patria lingua volumen composuit de situ & natu-
ra Aethiopie, incolarumque moribus ac religione, item de iti-
nere suo, in illam suscepto. Jovius, de illo loquens, ait: „is
„itinerum suorum atque actionum omnium diurnos commenta-
„rios, quum Romæ deceperet, scriptos reliquit.“ Illorum epi-
tome, at non accurata satis, anno c1510xxxx. Ullisipone publici
juris facta est. Francisci TITELMANNI, Franciscani, scriptio
de religione, moribus & ceremoniis Aethiopum cum libellis Da-
miani a Goes Antverpiæ anno c1510xxxxiii. vulgabatur.

CAP V

§. I. Da. 82. Lu. Lib. 2. c. 15. (8.)

§. II. Da. 14. 45. 46 84. Lu. L. III. c. I. §. 2. Luc. 2. (no. 9.) 3. (no. 13.)
Fa. 692. 712.

Alvarus, Alvarez. Ulyssipone, Lusitanice; Hispanice, Toleti 1583. gal-
lice, Antwerp. 1558. italicice, Venet. 1563. germanice, Isleb. 1566.

§. III. Fa. 692. 712. 716. Da. 45. Maf. 318. fin. Lu. lib. 2. c. 16, 10.
Luc. 4. (§. 25.) 6. (num. 31.) 13. (§. 63.) 480. (num. 10.) Jovius.
I. 866.

CAPUT XXXI.

Ab anno CICLXVII. ad annum usque CICXXXXVI.

Habessini; profecta a Christianis occidentalibus, intuitu arcendae
tyrannidis ac vexationis gentilis & muhammedice.

§. I.

EMANVEL, Lusitanus, dimisit tandem Marthæum, Davidis oratorem, suis ei adjunctis legatis, Odoardo GALVANO, RODERICO & LIMÆO. In Indiam venitur; indeque, cum classe, adversus Turcos parata, ad portum, Arquicum nomine, in littore Erythræo ac ditione Habessinica situm, deducuntur. Appulsa navis est anno CICXX. die II. Aprilis. Vita in itinere defuncto Principe legatorum, GALVANO, successit LIMÆVS. Antequam in aulam pervenirent legati, MATTÆVS quoque mortuus est. LIMÆVS, cum collegis a Rege honorifice exceptus, amplum mandatorum exponendorum spatiū nanciscitur.

§. II. Deinde rex ad Emanuelem scripsit litteras, auditaque hujus morte, alias ad Ioannem III. illius successorem. Limæo data redeundi facultate, simul novum ablegat oratorem, TZAGAZAABVM, episcopum, arabicæ linguae peritum. In destinata Emanueli epistola, scriptaque anno CICXXI. hæc sunt:
„De hac autem mutua (*nostra*) legatione antiquitus prædictum
„sicut a propheta in libro de vita & passione sancti Victoris, & in
„libris sanctorum Patrum, quod rex magnus christianus, cum
„rege Æthiopie esset cum mutua pace conventurus: sed hoc ne-
„quaquam futurum existimabam diebus vita mea. Verum Deus
„certum sciebat, ut laudetur nomen ejus: qui nuntium ad me
„derulit, ut ego pariter id mittere possem ad te, patrem meum
„in Christo & amicum; ut simus in una fide: postquam a nullo
„alio rege christiano nuntium aut certam notitiam habuerim, &c.
„Et vos Deo debetis continue supplicare, donec gratiam vobis
„faciat potiundi templi sancti in (*urbe*) Hierusalém, quæ est in
„potestate hostium Christi, Maurorum & gentilium, & hereti-
„corum:

§. I. Da. 15. 16. 20. 23. fin. 27. Kor. 216. Lu. lib. 2. c. 16. (9.) Iovius,
1. 865. Maf. 57.

corum: & si hoc perfeceris, caput tuum omni laude plenissimum erit, &c. Agamus inter nos, quomodo invaderemus, & capere possimus infidelium terras. Ego certe dabo millies centina millia drachmarum auri, & totidem millia militarium viorum; itemque materiam, & ferrum, & cuprum, in usum adificandae & ornanda classis, magnam etiam commeatus copiam. Amice una conveniemus. Et quoniam non est consuetudinis, & dignitatis meæ, ad petendam pacem legatos mittere; & tu primus a me eam sincere quæsivisti, ad probandum Christi verba; nam scriptum est: beati pedes, qui portant pacem: & ego propterea sum ad id paratus, more Apostolorum, qui erant unanimes, & unius cordis, &c. Ego, sicuti filius parvulus, quæ jussisti, feci, & faciam, si venerint legati vestri; ut invicem mutuis opibus adjuvemur. Singulis autem Oratoribus vestris, qui venient: sicut tum fecistis ad Mazua, aut Delacam, & ad portus intra angustias maris Rubri: ea tribuam, tribuque curabo, quæ facienda esse significabitis; sicut maxime desidero, ut in consilio, & rerum actione prospere conjungamur. Nam cum ad ea littora copias vestrae pervenerint, mature & ego cum meis exercitibus adero. Et quoniam in finibus meis nemo est christianus, neque templo christianorum visuntur; concedam vestris hominibus habitandas illas terras, quæ sunt proxima Maurorum ditioni; propterea opus est, ut cœptis vestris debitum finem adferatis, &c. Et simus conjuncti sicut laterculus cum laterculo in pariete copulatur. Ita duo in uno corde & amore Jesu Christi consentiamus, qui est caput mundi; & qui cum eo sunt, assimilantur laterculis, in muro conjunctis.

§. II. Da. 16--25. 27. 28. 45. 75. 83. 84. Lu. lib. 2. c. 16. (9) Luc. 259.
num. 58. (1.) Mat. 384. 385.

X 8374501

